

## EXPLICAT. PSAL. LXVIII.

- I. **S**aluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.
- II. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.
- III. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.

Passio Domini nostri Iesu Christi in Euangelis ita describitur, vt non multa dicantur de vehementia doloris eius. Voluerunt enim Euangelistæ declarare, passionē illam fuisse voluntariā, & summa constantia toleratam à Christo. Sed quoniā oportebat etiam, vt Mundus intelligeret, acerbitatē doloris in Christo fuisse maximam, atque inde colligeret quantum debeat Redemptori; ideò Spiritus sanctus hanc doloris vehemētiā multò antea Prophetis reuelauit, ac per eos, vt testes fide dignissimos, & ab omni adulatione alienos, scribi voluit. Itaq; multa de hac re scripsit Isaias, multa Hieremias, sed null' plura quàm Dauid. Igitur in primis tribus huius Psalmi versiculis, describitur passio Christi per similitudinem demersionis in aquas lutulentas, & profundissimas. Saluum me fac Deus; salutem petit Saluator à Deo Patre, non salutem animæ, quam habebat, & perdere nō poterat cum beatus esset: sed salutem corporis, eāq; non absolutè petit, sed vt ostendat magnitudinem doloris, & contrarietatem naturalis appetitus ad mortē, eo profus modo, quo in horto dixit, Pater, si vis, transfer calicem hunc à me, Luc. 22. Quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Hic incipit similitudo demersionis in aquas, Quoniam, inquit, similis factus sum ei, qui proiectus in aquas, incipit sentire aquas penetrantes ad vitalia, vt iam respirare, & viuere non possit. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, id est, similis factus sum, non solum homini præcipitato in aquas, sed in aquas limosas, & sine fundo, vt non liceat emergere, neq; subsistere. Illud, Et non est substantia, si-

gnificat, & non est furdamētum, siue fundus, vbi subisti possit: nam græcè est ὑπὸ ἁ-  
σιν, & hebraicè, mahamad, quæ stationem, siue consistentiam, vel subsistentiam significant. Veni in altitudinem maris, id est, non in paruum gurgitē demersus sum, sed in mare magnum, & profundissimum, vt aquarum immensa multitudo super me sit. Et tempestas demersit me, id est, quia tempestas vehementissima vētorum, & fluctuū demersit me. In hac similitudine per multitudinem aquarum vsque ad animam penetrantiū, intelliguntur pœnæ multæ, quas Christus pertulit, quæ vsque ad mortem sequerunt: non enim simplici morte defunctus est, sed innumeras pœnas, doloresque sustinuit. Per limum profundū, cui infixus inhaesit, significantur peccata totius humani generis, quæ illum in pœnis detinuerunt: per tempestatem, qua demersus fuit in aquas, intelliguntur iustitia, decretumque diuinum, quod expiari peccata voluit; intelligitur quoq; rabies, & crudelitas Iudeorum: intelligi denique potest, & maximè propriè, vehementia amoris ipsius erga genus humanum. Nam per eam tempestatem, intelligitur causa efficiens passionis, quæ multiplex fuit, vt Theologi docent ex diuinis scripturis. Nam Apostol. ad Rom. 8. dicit, Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et Act. 3. dicit S. Petrus ad Iudæos, Auctorem vitæ interfecistis. Et rursus B. Paulus ad Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Itaque tempestas valida, quæ Christum demersit in profundum passionis, & mortis, fuit partim bona, & laudabilis, partim mala, & reprehensione dignissima.

**L**aboravi clamans, rauæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum. IV.

Ex hoc versiculo intelligimus, quæ dicta sunt in tribus versiculis superioribus, accipienda esse per similitudinem: nam si propriè Christus demersus fuisset in aquas, non potuisset clamare. Sed hic etiam versiculus

תַּיִם